



G 2208
COMMENTATIO HISTORICO-CRITICA

DE

CELEBRATIONE SABBATI DIEIQVE
DOMINICAE INTER VETERES
RECENTIORESQVE

1772
QVAM

PRAESIDE
ERNESTO GODOFREDO CHRISTIANO
SCHROEDERO
PHILOS. PROF. PVBL. EXTRAORD.

DIE XXVI. MART. CI CCLXXII.

AD DISCEPTANDVM

PROPONIT

AUCTOR

M. IOANNES BENIAMIN ALBERT
DRESDENSIS



VITEMBERGAE
EX OFFICINA GERDESIANA.

1772

COMMUNICATIO HISTORICO-COMITICA

ad

CELEBRATIONIS SABBATICALIA

DONATIONIS ET ALTRI

EXCELSIORUM

EXCELSIOR

PERPETUA

PRESERTIMO GODOTELMO CHRISTIANO

SCHOLASTICO

PIUS VIII PONTIFEX MAXIMUS

PRO ROMANIS CATHOLICIS

MISERICORDIA DILECTIO

CONCILII VATICANI

AD TOTUM

TRINITATIS IN MARIAM BENEDICTIO

CONFESSORI

EXCELSIOR

PERPETUA

ALTRI EXCELSIOR

SENATVS
IN SAXONIA SACRA SVMMI
PRAESIDI ILLVSTRISSIMO
PRO - PRAESIDI PERILLVSTRI
RELIQVISQVE CONSILIARIIS
ET ASSESSORIBVS
GRAVISSIMIS
VIRIS MAGNIFICIS SVMME VENERABILIBVS
ILLVSTRBVS IVRE CONSVLTISSIMIS
AMPLISSLIMISQVE
REIPUBLICAE LITERATAE STATORIBVS
SVMMA GLORIA CONSPICVIS
DOMINIS AC PATRONIS
INDVLGENTISSIONIS

HANC
COMMENTATIONEM ACADEMICAM
TANQVAM PIETATIS OBSERVANTIAEQVE PIGNVS
PRO BENEFICIIS LARGISSIME PERCEPTIS
DEVOTISSIMA MFNTE
SIMVL FAVSTA QVAEVIS APPRECANS

D. D. D.
SALVMI GLOSI A CONSILICIA
DOMINI AG. PETRONII
CLIENS SVMISSISSIMVS
M. IOANNES BENIAMIN ALBERT.

PRAESES ILLVSTRISSIME
PRO· PRAESES PERILLVSTRIS
VIRI MAGNIFICI
SVMME VENERABILES ILLVSTRES IVRE CONSVLTISSIMI
AMPLISSIMI
DOMINI AC PATRONI INDVLGENTISSIONI

Quo excelsior VESTRA erga omnes, qui literis
dant oparam, est gratia, quo liberalior erga
egenos munificentia, eo maiorem in modum
VOBIS me obstrictum esse sentio, quod omnibus
opibus destitutus, maximaque pressus egestate, VE-
STRO auxilio, propositum, hanc almam Musarum vi-
sendi sedem, ibidemque in scientias artesque liberales
incumbendi, persequi potui. Nam cum demississi-
mis meis precibus locum benignissime daretis, mihi-
que beneficia illa Electoralia, quae Nutritores Sere-
nissimi ad studia eo felicius peragenda illis, qui ino-
pia laborant, munificentissime destinarunt, largire-
mini prolixe, hac VESTRA splendida erga me indul-
gentia factum est, ut non solum cursum academicum
eo possem facilius incipere, sed illum etiam fausto for-
tunatoque euentu finire. Abitum vero ex hac hac litera-
rum sede parans, specimen quoddam studiorum publi-
cum

cum edere, in animum induxi, ut has ingenii mei,
quod sentio, quam sit exiguum, primitias VOBIS di-
carem, simul vos submississime rogans, ut hasce plagu-
las, tanquam documentum gratissimi deuotissimique
animi amoeno respiciatis vultu, meque ad explo-
rationem virium mearum solemnem. benignissime
admittatis. Nihil certe mihi magis curae erit cor-
dique, quam ut hac singulari erga me beneficen-
tia me semper reddam dignorem. Deum vero reli-
giosissimis inuocabo precibus, ut vos in salutem inco-
lumentatem que patriae reique literatae amplificationem
ad feros usque annos saluos faustosque conseruare,
VOBIS VESTRISQUE GENTIBVS splendidissimis omne
felicitatis genus concedere, perpetua laetitia volu-
ptateque vos recreare, omnibusque negotiis VESTRIS
grauissimis praesentissimo auxilio adesse velit. Qua
perfunctus religione VOBIS me meamque fortunam
quam demississime commendo

NOMINVM VESTRORVM SVMMA DIGNITATE FLORENTISSIMORVM

Vitembergue, die xxvi. Mart.
cls 15 ae LXXII.

clienti dicatissimus

M. IOANNES BENAMIN ALBERT



§. I.

Maxima parte cursus academici absoluta, morem *Instituti* ^{ra-}
quoque veterum obseruandi, priusque, quam ^{io.}
hanc musarum sedem relinquo, specimine quo-
dam publico meam qualemcunque scientiam
ex praestantissima celeberrimorum huius aca-
demiae Doctorum institutione haustam Patronis declarandi,
mihi semper fuit animus. Quo plura vero mihi de obiecto
dissertationis meditanti occurrabant, quae digna iudicabam,
ut in commentatione praesenti explicentur et illustrentur, eo
difficilior mihi videbatur electio. Tandem Fidleri libello,
qui inscriptionem habet, der unpartheitische Lutherauer,
volutatis causa perlecto, locus ille, vbi de neglectione Sab-
bati, quo Christiani Iudeis induratis offendiculum praebarent,
maximas effundit querelas, et in eos vehementissime inve-
hit, simul vero, diem Dominicam mutatum Iudeorum esse
Sabbatum, statuere videtur, me mouit, vt, quoad conce-
dent vires, celebrationem Sabbati inter Iudeos dicique Domi-
nicae inter Christianos paulo vberius exponere, mecum con-
stituerem.

A 2

§. II.

§. II.

*Significatio
voceis Sabba-
ti.*

Vox Sabbati descendit, ut satis notum, ab Hebraea voce **שַׁבָּת**, quae significacionem habet quiescendi. Haec vero vox in Sacris literis vario accipitur sensu. Vlurpatur enim passim de die septimo hebdomadis, Exod. XVI, 26. XX, 10. XXXV, 2. Deut. V, 14. partim de aliis diebus festis, Leuit. XXIII, 32. partim de integris hebdomadibus, Leuit. XXIII, 16. Luc. XVIII, 12. ita, ut *μία* (scilicet *ἡμέρα*) *τὰν συθεράτων*, Matth. XXVIII, 1. nullus sit alias dies, quam hebdomadis primus.

§. III.

*Definitio sab-
bati eiusque
celebrationis.*

Nos hoc loco vocem Sabbati sumimus in significatu priore, eoque in Sacro Codice frequentissimo, quo Sabbatum est dies septimus hebdomadis, quieti cultuque Diuino consecratus. Ex quo sequitur, celebrationem Sabbati esse vsum huius diei ad quietem cultumque Diuinum.

§. IV

*Mandatum
Diuinum de
abbato.*

Hanc celebrationem mandatum Diuinum Genes. II, 2. 3. ita expressit: Deus opere creationis absoluto die septimo quieuit, cumque prosperatum inaugurauit, quia illo ab omni opere perfecto quieuerat. Quibus verbis primo Deus quietuisse, hoc est, ab omni opere creationis desisse, nihilque noui creasse amplius, dicitur. Sic enim **שַׁבָּת** de Deo est explicandum, qui non defatigatur propter immutabilitatem. Porro hic dies a Deo consecratur, et a diebus reliquis, quibus Adamo hortus erat colendus, Gen. II, 15. ad actiones eminentiores separatur, quae vis est verbi **שְׁבָת**, nempe ad summam Dei sapientiam, potentiam et benignitatem ex opere creationis agnoscendam, laudibusque ornandam. Tandem ratio

ratio huius celebrationis Sabbati additur, quae est absolutio
huius vniuersitatis.

§. V.

Quam quidem legem de celebrando Sabbatho in statu integratatis latam, et per oralem traditionem propagatam, et iam post lapsum, praesertim a patriarchis, summo studio fuisse mandatum obseruatam, quamuis Scriptura de eo taceat, vix est dubitandum. Adamus enim, transgressionem praeecepti de non comedendo, fructusque eius miserrimos, adhuc recenti memoria tenens, vix credi potest, tanta licentia hoc quoque solemne mandatum Diuinum scientes volentesque violasse. Et quamvis proles Cainitica a Deo desiceret, incidetque in atheismum, Sethus tamen cum sua posteritate, ad quam Noachus pertinebat, Deo fidem praefstabat, praecepsique eius gerebat morem. Quam ob causam ille, celebrationem Sabbati a Deo iussam sedulo obseruasse, merito est censendus, quod etiam de patriarchis post vniuersam terrae inundationem viuentibus, et in primis de Abrahamo, Dei amico, maxima veritatis specie coniectare licet.

Quid de celebrazione eius inter patriarchas sit existimat?

§. VI.

Num posteris Iacobi, in Aegypto post obitum Iosephi *De celebrazione eius in viuentibus*, grauissimisque laboribus pressis, celebratio Sabbathi fuerit permissa, incertum esse videtur. Eo vero certius ante captivitatem Babylonicam, Deum iis ex Aegypto migrantibus hanc legem denuo nican, in memoriam reuocasse. Panem enim de coelo iis promisit. tens, mandatum statim addebat, vt non solum die sexto sibi duas colligerent partes, vt haberent, vnde uiuerent die septi-

A 3 mo,

nio, illum enim esse Sabbatum, quo nihil alimenti inventuri essent, sed etiam eodem die cibum pararent, quo indigerent sequente, neque domo Sabbato durante exirent. Exod. XVII, 5. 22. seqq. In monte Sinaitico, cum Deus decalogum promulgaret, praeceptum tertio loco ponens, simul sanciuit, ut non solum homines ab omni labore hoc die abstinerent, sed etiam animalibus vacatio concederetur. Exod. XX, 8. seqq. Deut. V, 12. seqq. Hac solemni promulgatione legis Sabbathicae facta, Deus laepissime Israëlitas per Moysen sub comminatione poenae supplicii, Exod. XXXI, 14. XXXV, 2. quo etiam quidam legis transgressor afficiebatur, Num. XV, 32. seqq. admonendos curauit, ut rite celebrarent Sabbathum, Exod. XXIII, 12. XXXI, 13. ab arando et metendo abstinerent, Exod. XXXIV, 21. neque ignem quidem in tabernaculis accenderent suis. Exod. XXXV, 3. Quod Israëlitis etiam posteris temporibus a prophetis partim promissionibus, Esa. LVIII, 13. Ier. XVII, 21. 22. Ef. LVI, 2. LVIII, 13. partim minis, Ef. LVI, 2. praeferunt ictus ignis a Deo inter eos accendi. Ier. XVII, 27. laepius fuit inculcatum. Hac crebrae repetitiones de Sabbatho obseruando erant eo magis necessariae, quo propensior semper erat populus Iudaicus ad aberrationem a mandatis diuinis, quam inclinationem prauam etiam profanatione Sabbathi, tum in deserto, Ezech. XX, 13. 16. 21. 24. tum in Palaestina, Ezech. XXII, 8. 26. XXIII, 38. satis comprobarunt. Concedebantur tamen hoc die opera charitatis atque extremae necessitatis, sicut Seruator ipse, alias sponte legi ceremoniali se se subiiciens, obtrectantibus quidem Pharisæis, Luc. XIII, 14. Ioh. XIX, 16. sanationibus aegrotorum Sabbatho peractis, id luculentiter ostendit. Luc. XIII, 10. seqq. XIV, 1. seqq. Quod etiam Iudeis ipsis non fuit ignotum. Non enim solum bestiis, quae in foueam aquae inciderant, extrahendo opem ferre

Matth.

Math. XII, 11. Luc. XIV, 5. sed etiam iumenta praesepi soluere, et aquatum ducere, Luc. XIII, 15. Sabbato concessum esse existimabant. Excepta etiam erant opera ceremonialia circa cultum Diuinum. Sic sacerdotes in templo die septimo sacrificia maestantes, onera ferentes, aliaque opera, ut reliquis diebus, perficientes, non peccabant. Matth. XII, 5. Nec circumcisio peragenda Sabbatho differebatur, sed infantes hoc die circumcidebantur, Ioh. VII, 22. quia dies octaua ad hanc actionem a Deo erat consecrata, eamque proferre non licebat.

§. VII.

In exilio Babylonico, in quod Iudei, inter alia sacerdoti*Celebratio*
lera, etiam propter profanationem Sabbathi eiiciebantur, *Sabbathi post
captiuitatem
Babyloniam.*
Ezech. XXII, 15. 16. coll. 8. Sabbathum siluit, Thren. I, 7. sicut omnis Dei cultus publice peragendus. Eo vero finito, ipsi in Palaestinam reuersi, Sabbathum quidem denuo sanctum habere exordiebantur, nihilo minus tamen eodem die torcular calcare, poma et ficus astinis impositas adducere, atque onera per portas ferre, Nehem. XIII, 15. non intermittebant, quod flagitium Nchemias, iustissima ira incensus, in principibus Iudacorum, tam profanos labores hoc sancto die concedentibus, summa grauitate reprehendit. Nehem. XIII, 17. Quemadmodum vero illi in celebratione Sabbathi deficiendo peccabant, sic alii, praesertim tempore Antiochi Epiphanis, sub cuius tyrannie etiam cultus Dei publicus ac Sabbathia aliquamdiu in Palaestina cessarunt, 1 Maccab. I, 48. 2. Macab. VI, 6. circa hanc legem, eandem nimis extendendo, excedebarunt, siquidem ad insaniam eius euitandam in deserta loca atque cauernas confugientes hostiliterque inuasi, vitam deponere malebant, quam contra impetum aduersario-

rum



rum per Sabbati spatium se armis defendere. Maccab. II, 34.
seqq. Prudentior tamen piorum Iudacorum pars, duce sacerdote
Mathathia, ab hac superstitione immunis, hostem quidem tem-
pore Sabbati aggredi, nefas esse, se se vero contra eius saeui-
tiam hoc die tueri, at Deo nunquam fuisse prohibitum,
sentiebat, i. Maccab. II, 41. Nimis quoque religiosi in cele-
brando Sabbato videntur illi, qui illud vel prius ordiebantur,
vel finiebant serius, ut a reliquis Iudacis fieri solebat. a) Nec
minus et illi a recto declinasse sunt censendi, qui Sabbato bis
mille passus vrbe exire, sibi licitum esse, ex loco, Ios. III, 4.
male intellecto, opinabantur, quod spatium iter Sabbathicum
vocabant. Act. I, 12. Praeparatio vero ad diem Sabbathicum
multiplex erat, varioque modo absolviebatur, ad quam die
antecedente per tintinnum tubae sexies repetitum inuitaban-
tur, quod in templo ex tecto Sabbati siebat. 2 Reg. XVI, 18.
Eo die ligna finiebant, lucernas accendebant Sabbathicas, co-
quebant cibos, quos in olla calida cophino impositos, foeno
circumacto, conseruabant, parabant portus, laboresque do-
mesticos, alias Sabbato perficiendos, absolviebant, ut plena
quiete eo fruerentur. Via longa eo die proficisci, erat inter-
dictum. Iudicium habere atque sententiam mortis proferre,
nefas ducebatur. Quin cunctis opificibus laborare non licebat,
solis sutoribus sartoribusque exceptis, quia vestimenta con-
ficiebant, itemque et legis peritis erat concessum ea inuesti-
gare, quorum die sequenti ad legem explicandam indige-
bant. Dimidium tamen temporis vel iis ad praeparationem
erat adhibendum. b) Hunc diem praeparatorium Sacrae li-
terae παρετέλευν vocant, Marc. XV, 42. Luc. XXIII, 54.
Ioh. XIX, 31. 42.

a) Carpzov. apparat. antiqu. Libr. III, Cap. 3, p. 61.

b) Idem l. c. pag. 60.

§. VIII.

Sabbatum vero δευτερόπρωτον, quale fuerit, difficile est dictu. Vero sumile, ut putamus, nullum aliud ^{De Sabbato} δευτερόπρωτον. est, quam primum Sabbatum post secundum diem Pascha-
tos, quo manipulus frumenti Deo offerebatur, de hoc enim, et de nullo alio, Luc. VI, 1. seqq. coll. Matth. XII, 1. seqq. ferino esse videtur. Iudei enim omnes dies et Sabbathata a Pa-
schate numerare soliti sunt, et adhuc solent. Deinde hoc Sabbatum certe post diem decimum sextum mensis Nisan fu-
isse, ex eo patet, quod ante illum, non modo Sabbatho, sed et aliis diebus Iudeis erat illicitum, spicas euellere, quod illud species messis habebatur. Pharisei vero tantum dicunt, hoc Sabbatho, neutiquam vero reliquis diebus, esse prohibitum.

§. IX.

Hierosolymis a Tito imperatore expugnatis, templo deleteo, sacrificiisque finitis, Iudei per totum terrarum orbem dispersi, nihilominus summo studio, quantum in iis fuit, Sabbathum huc usque celebrarunt, illud adhuc celebrantes, nescio, num dicam, maiore accuratione, an superstitione, dum sere innumerabiles ritus, qui partim superstitionem produnt, partim risum adeo mouent, ad honorem, ut loquuntur, Sabbati, excogitarunt. Praeparatio fit, ut quondam, die Veneris, nisi festum eo coinciderit, quo a meridie ad vespere usque, nihil aliud, praeter id, quod Sabbathum spectat, agere licet. Initium huius praeparationis faciunt cum exploratione vitae per hebdomadem praeterlapsam peractae, ut ea, quae iniquitatis speciem praesferunt, poenitentia expient, atque passim emendent. a) Qua finita cibos potusque tribus epulis Sabbathicis consumendos emunt, praepa-

B

rant,

Celebratio
Sabbati inter
Iudeos re-
centiores.

rant, coquunt, eosque quidem eo lautiores, quo magis genio
 indulgeret, Sabbato honori esse existimant, qua propter qui-
 dam adeo die Veneris ieunant, quo maiorem ad Sabbatum
 appetitum excitent. b) Cibi, si cocti sunt, gustantur, ne
 quid in iis sit omissum, et in fornacem reponuntur, caloris eo-
 rum seruandi causa. Panes albos Sabbaticos foeminae con-
 ficiunt, a quorum massa particulam quandam oliuae instar,
 quam Callah nuncupant, precatione et benedictione separant
 atque comburunt, argumento ex Num. XV, 20. defumto.
 Laborem quotidianum, quem non ante vesperam perficere
 posse credunt, fugiunt, sed in rebus, quae praeparationi ad
 Sabbatum inferunt, omnes, vel nobilissimi atque disti-
 mi, versantur. Iter facere, quod tria millaria non excedit,
 licet, sed viam longiorem progredi, non, nisi domum rede-
 nitibus, permittunt, quo tempestiuus habitaculum, aut
 deuersorium possit attingi. Cibis paratis ad se ipsis se ver-
 tunt, vngues digitorum refecant a sinistra ad dexteram, or-
 dine supererito excogitato, pergentes, c) pedes, manus,
 faciemque lauant, et quidem aqua calida, vestesque pretio-
 sissimas, quas habent, induunt. Sabbato appropinquante
 synagogam adeunt, et precationem vespertinam absoluunt,
 ad quod tempus, ne illud negligatur, aeditimus, fores Iudeo-
 rum pulsando, inuitat. Quia oratione peracta domum rede-
 unt, ubi foeminae mensam sternunt, vinum apponunt atque
 panes, et lucernas Sabbaticas, quas Iudei tam necessarias
 putant, vt, si quis tantum pecuniae non habet, qua eas
 emat, stipem ostiatim quaerat, accidunt, precibus praemissis,
 et fausta precatione addita. Quae accentio foemina-
 rum est, quia Eua in Adamo, vt loqui solet, lumen ex-
 tinxit. d) De qua actione etiam sibi plurimum commodi,
 vt partus faciliores, liberosque pios et eruditos pollicentur.

Sole

Sole ad occasum inclinante, Sabbatum inchoant, quod rite
praeparati, studioque religioso facere, iubentur. Si coelum
nubibus obductum, ad gallinas attendunt, quando in gallina-
rium se recipiunt, tunc enim noctem esse putant. Sabbatum
prius incipiendo, et serius finiendo, mercedem in hac et altera
se merituros vita, sperant. Quod exorsi synagogam reuisunt
precando psalmoque canendo. Qua clausa domum vadunt, fa-
miliae queuis fausta precantes, mensam stratam adeunt.
Hic patres familiae, priusquam aliquid comeditur, cyatho
vini prehenso, dum lucernas intuentur, Sabbatum conse-
crant illumque, postquam ipsi biberunt, cacteris porrigitur.
Propter hanc consecrationem quisque, vel pauperrimus, sibi
vinum comparare obligatur. Ex hac ratione etiam in synago-
gis cyathum vini consecrant, ut pauperes et peregrini, qui
vino carent, ex eo bibere possint. Idem faciunt patres familiae
duobus panibus tegmine velatis, quos sumunt, conse-
crant, frustum de alterutro rescindunt, comedunt, conuiisque
distribuunt. Posthaec reliqui, quibus mensa onerata
est, cibi capiuntur, pauperibus non obliuioni traditis. Coe-
na absoluta manibus lotis sese in lectum recipiunt, quem die
septimo eo serius relinquunt, quo certius somnum paulo lon-
giorem in recreatione, qua Sabbato gaudent, numerant.
Postquam e lecto surrexerunt, in synagogam festinant. Ibi
diutius precantur, quam aliis diebus, leguntque sectionem
e lege Mosaica, nec non e prophetis. Simul vota faciunt
pro defunctorum animis, qui non, ut conuenit, Sabbatum
obseruarunt, quos dannatos die Sabbati quiete frui credunt.
Nec non salutem et tranquillitatem magistratus Christiani,
sub cuius tutela viuunt, a Deo preicatione haud ineleganti
petunt, ipso mandato diuino Ierem. XXIX, 7. ad hoc offi-
cium permoti. Nonnullis etiam locis, quod tamen rarius

fit, etiam orationes sacrae habentur, in quibus quendam sacri codicis locum explicant. Precibus peractis, synagogam relinquunt, domumque discedunt, ubi omnes, qui domui insunt, statim ad prandium secundum Sabbati epulum, haud, ut pater familias, manibus, illoris festinant. e) Hic, quod appositorum est, consumunt, cantusque hunc prandio destinatos, laetitia pleni, canunt. Saturati, libros, in quibus negotia Sabbati tractantur, vel ipsi perlegunt, vel sibi perlegendos curant. His lectis somnum amant. Ad vesperam rursus in synagogam eunt, ibique preces consuetas recitant, et domum reuersi terium, quod Sabbathum dicitur, epulum consumunt, antequam vesperascat, et Sabbathum fausta precatione repetita finiunt. Has tres epulas eam ob causam maxime necessarias putant, quoniam in mandato diuino Exod. XVI, 25, vocula *bodie* ter inueniatur. Primum epulum in honorem Isaaci instituunt, ad Iudeos et magna angustia temporibus Messiae oriunda eripiendos, alterum in honorem Abrahami, Iudeos ab inferis liberandi causa, tertium in honorem Iacobi, ut bellum Gogi et Magogi effugiant. Quibus alii adhuc quartum addunt, ad se a perpetrationibus in sepulchris custodiendos. f) Nihil magis amant Sabbatho, quam recreationem atque voluptatem, totum diem sibi ad delicias destinatum esse existimantes, propter promissionem diuinam, Esa. LVIII, 13, ubi Deus promittit, Sabbathum iis fore in deliciis. Hinc Sabbatho omne ieunium et planctum omittunt, atque prohibent. E contrario ambulationem, quod affert delectationem, non solum permittunt, sed etiam, quo longius ambulare possint, hoc in fraudem legis excogitarunt medium. Sumunt cibum Sabbatho nondum inchoato, eumque in locum bis mille passus a domo, in qua habitant, distante ferunt, atque abscondunt. Hunc locum ad habitationem definiant,

stinat, in eum Sabbato se conferunt, cibum eo apportatum
 edunt; et eo consumto, adhuc bis mille passus longius pro-
 gredi, sibi licere putant. Operum, quae Sabbato suscipere
 prohibent, praecipuorum triginta nouem numerant, quae
 nomine אַבְזָה תְּלִירֹת אַבְזָה nuncupata deriuantur. Inter haec
 quodam, reliqui appellantur, ex quibus, ut ex fonte
 sunt alia superstitiones, ridicula alia. Iuuenibus quidem, non
 vero viris foeminaisque, Sabbato currere, est concessum, nisi
 voluntatis, recreationis et Diuinum mandatum eo celerius
 exequendi causa. Dimeciuntur adeo longitudinem pa-
 suum, qui non sint duobus pedibus vel cubitis maiores. Ni-
 hil iis licet secum portare ad vestes non pertinens, quod in-
 terdictum adeo ad acus quoque superflua, quas foeminae
 secum gestare solent, extendunt. Viri non baculo vtuntur,
 nisi aetate proiecti. Pecudes nil, nisi quod maxime necessaria-
 rum, ferre coguntur. Inprimis Iudaei omnem pecuniam de-
 ponunt, nec aurum, nec argentum in itinere secum portan-
 tes. Quin adeo, quando crumenam pecunia impletam in-
 ueniunt, eam tollere Sabbato non audent. Opera charitatis
 et summae necessitatis permittunt alia, alia vetant. Sabbatum
 licet violare, si vitæ cuiusdam periculum imminet. Hinc
 aegroto, graui letalique morbo laboranti, omnia quae
 eius conseruatione conducunt, adhibere iubentur. Foeminae
 parturientis eadem est conditio. Infantem recens natum
 fasciis involuant, eiusque lotionem curant. Puerum, si in
 aquam inciderit, extrahunt. Cura mortuorum, in primis
 quae ad eorum honorem spectat, ut eos vngere atque la-
 uare, non interdicunt. Ignem, qui ortus est, delent. E con-
 trario vetant, de mercenariis futuro die conducendis loqui.
 Vetant, si dolium vino impletum foramen acceperit, per
 quod vinum penetrat, illud ocludere, ac quendam, reli-

B 3

gioni

gioni Iudaicae non addictum, de ea re obsecrare, nisi ille sponte faciat. Verant aegroto, quando mortis periculum non imminet, quoconque modo fuccurrere, aut pecudem morbo affectam iuuare. Pro nullo aegroto, nisi moribundo, precantur. Membra corporis, etiam infirma et laesa Sabato nec oleo vngere, nec aliis rebus, quibus dolores mitigari possint, illinere licet. Animal si in foueam inciderit, pabulo nutritum, donec Sabbathum occiderit, si in ea nimium aquae, vt timeant, ne pereat, stramen abiiciunt, ne aqua suffocetur, eique puluinar supponunt, vt possit escendere, illud vero hoc die extraherere, neque ipsi Iudei hodierni audent, neque a maioribus Sabbathum tali factō vinquam fuisse violatum, credunt. Quare etiam Seruatorem nostrum mendacii accusant, cum, Luc. XIV, 5. ad defendandam sanationem aegroto tempore Sabbati praestitam, Phariseos talia opera misericordiae etiam hoc die erga bestias obseruare, confirmet. Qua ratione praefertim Lippmannus, Rabbi Iudeorum, est columniatus ^{g)}

- a) Der Jude I. Theil. Pag. 371. b) Buxtorff. Synag. Iudaic. Cap. XV. pag. 295. c) Ibidem pag. 297. d) Iudei enim credunt, antequam Eius peccari, solem eodem modo luxifse, quo in vita futura. Ea vero cum peccarit, splendorem suum commutatum lumenque eius extinctum esse. e) Der Jude II. Theil. pag. 94. f) Idem II. Theil. pag. 126. g) Buxtorff Synag. Cap. XVI, pag. 353.

§. X.

*Celebratio
Sabbati inter
primos Chri-
stianos.*

Apostoli et primi Christiani nominis confessores, e Iudeis egredi, legis ceremonialis, per Christi aduentum impletæ, reverentiam atque obseruationem iustitiae causa inter se non tolerabant, vt ex epistola Pauli ad Gal. scripta luculenter appet. Hinc etiam negligeant Sabbathum eiusque celebrationem, par- tem,

tem, ut recte putabant, legis mosaicae. Paullo post vero, vel temporibus apostolorum ipsis, vel certe patrum apostolicorum aetate, Christiani incipiebant Sabbathum Iudaicum, ut diem festum, cultu obseruare religioso, in gratiam multorum fide infirmorum, qui e Iudeis erant conuersi, et maximam reverentiam habebant erga ceremonias a Deo per Mosen traditas, et a suis maioribus summo studio obseruatas, sibique religioni ducebant, easdem plane deponere, et contra eae religioni, omnibus externis ritibus destitutae, ex animo fauere. Quibus rationibus haud leuibus mota vetus Christianorum ecclesia decernebat, Sabbathum Iudaicum simul cum die Dominica, de qua paulo post plura diceimus, modo solemnii cultuque religioso celebrare, ut teneras conscientias subleuarent et Iudacis via eo facilius pateficeret ad Christum se conuertendi. Quae quidem Sabbati obseruatio Christianis nec quicquam molestiae afferebat, nec libertati eorum obstabat, cum hic sponte et a nemine coacti agerent, nec obligationem erga legem ceremonialē abrogatam indicabat, cum reliquos ritus non tangerent, et praeterea, quod meretur, ut notemus, inter Sabbathum Iudaicum et Christianum, differentia esset haud minima. Non enim Christiani cibum Sabbatho necessarium die antecedente praeparabant, neque ipso Sabbatho Iudeorum modo sacrificabant, neque ab omnibus manuum operibus, finitis sacris, cessabant, quin potius illis, qui in celebratione Sabbathi Iudeos imitarentur, summoque fruerentur otio, ex sententia concilii Laodiceni anathema pronunciabant: *non operet Christianos iudaizare nec Sabbatho otari, sed ipsos eo die operari. Quod si inueni fuerint iudaizantes, anathema sint opud Christum.* a) Quibus verbis responderet auctor ad Magnesianos: *non amplius, inquiens, Sabbathizemus Iudaico more ac feriis gaudentes. Qui enim non operatur, non edat. In sudore enim vul-*

tus

* * *

rūs tui edas panem, aiunt eloqua. Sed unusquisque vestrū
 Sabbatizet spiritualiter, meditatione legis gaudens, non cor-
 poris requie, opificium Dei admirans, non pridiana comedens,
 aut tepida libens et ad p̄aeschripta spatio (haec sunt itinera
 Sabbatica) obambulans, et saltationibus, plausibusque insanis se
 oblectans. b) Sed obseruamus etiam discriben inter Sabba-
 tum Christianorum et diem Dominicum, quamuis uterque fu-
 erit ficer. Nullae aderant leges Sabbatho stāndo precari, vt
 die Dominica, ob resurrectionis Christi memoriam. Causa-
 rum actiones et dictiones legibus imperialibus non erant
 prohibitae. Publica spectacula et ludi non vetabantur. c)
 Natalitia martyrum Sabbatis celebrabantur, quia dies erant
 festi. d) Coetus ad cultum publicum solemniter conuocaban-
 tur, quando conuenerat, ad Iesum Sabbathi dominum precabatur,
 opus creationis recordabatur, Deumque laudibus or-
 nabat. Sacer legebatur Codex, euangelium praedicabatur,
 afferebantur oblationes, sacra coena quisque fidelium vte-
 batur, et ferui durante conuento plena a laboribus vacatione
 gaudebant, quod verba probant Auctoris Constitutionum:
 ferui operentur quinque diebus, Sabbatho autem et dominica va-
 cent in ecclesia, propter doctrinam pietatis. e) Hoc die feto
 atque laeto ieiunium plane erat vetitum, uno magno nimis
 Sabbatho excepto, pridie paschatos, quo noster seruitor fue-
 rat in terra sepultus. Quamuis enim Marcion haereticus, in
 odium Dei Iudeorum orbisque terrarum creatoris, quem a
 summo Deo falso distinguebat, quia ille eo die quieuerit, Sab-
 batumque cum lege ceremoniali dederit Iudeis per Mosen f)
 et Eustathiani, vitae asceticæ caufa, singulis, Sabbatis ieiunium
 instituerent, totus tamen primaeius Christianorum coetus
 in Oriente atque Occidente, horum hominum doctrinam
 damnans, a ieiunio abstinebat. Quem vero morem per duo
 plura-

plurae priora post C. N. saecula, viguisse, saltem, Tertuliani temporibus adhuc fuisse in usu, ex eius liquet verbis: g)
et ieiuniis, inquietis, Paraceuen quanquam vos etiam Sabbathum, si quando continuaris, nunquam nisi in Paschate ieiunandum, secundum rationem alibi redditam. In sequentibus vero saeculis nonnullae ecclesiae latinae, praecunte Romana, b) singulis Sabbathis ieiunare incepunt, inter quas praeferuntur Hispanica est referenda, quod canon Concilii Illiberitani satis probat, qui his continetur verbis: *errorem placuit corrigi, ut omni Sabbathi die ieiuniorum superpositiones celebremus.* i) Mediolanensis tamen, pluresque alias ecclesiae latinae, k) nec non, teste Augustino, variae in Africa florentes ecclesiae, l) veterem retinebant consuetudinem, et a ieiuniis cunctis Sabbathi diebus suscipiendis abstinebant, quod etiam a Graecis fuisse obseruatum, ex canone Concilii Trullani, perspicere licet: m)
quoniam intelleximus, in Romanorum ciuitate in sanctis quadraginta ieiuniis in eius Sabbathis ieiunare, praeter ecclesiasticam traditam obseruationem, sanctae synodo visum est, ut in Romanorum quoque ecclesia inconcupias vires habeat canon, qui dicit: si quis Clericus inuentus fuerit in sancto die domino vel Sabbatho ieiunare, praeter unum et solum, deponatur, si autem laicus sit, segregetur.

- a) Canon. XXIX. b) Pseudo-Ignat. Epist. ad Magnes. num. 9.
 c) Bingham Origines Part. IX, Libr. XX, Cap. 3. §. 3. d) Concil. Laodic. C. V. e) Libr. VIII, Cap. 33. f) Epiph. haec ref. XI, II. §. 3. g) Tertull. de ieiuniis Cap. XIV. h) Quid ecclesiam Romanam, ad singulis Sabbathi diebus ieiunandum, permouerit, non satis appetet. Alii, vt Augustinus Epist. LXXXVI, ad Caesariensem, hunc deriuarunt ritum a ieiunio, quod Petrus die Sabbathi, cum viuenter coetu Romano eum in finem suscepisse, vt se ad certamen cum Simone Mago die Dominica Romae in eundem praepararet, victoria autem deportata, singulis Sabbathis obseruasse, dicitur. Alii, cum Innocentio Pontifici Rom. Epist. I, ad Decent. Cap. IV, perhibent, haec ieiunia eam ob causam fuisse instituta, quia feria sexta ob passionem Christi ieiunaretur, apostoli que etiam hoc biduo summa fuisse tristitia affecti. Decere igitur, vt dies Pascha antecedens, in huius rei memoriam ieiuniis celebretur. i) Concil.

C

cil.

cil. Illiberit. Can. XXVI.

l.) Ibidem,

k.) Augustinus Epist. LXXXVI, ad Caſull.

m.) Cone. Trull. Can. LV.

§. XI.

*Institutio diei
Dominicae
ab apostolis.*

Apostoli abrogato Iudaeorum Sabbato alium quendam diem, et quidem primum hebdomadis ad cultum Deo praestandum paullo post Christi adscensum destinabant, quo conuenientes religiosas peragebant actiones, et praesertim cum coetu recens conuersio Sacram vſirabant Coenam, cuius quidem rei testimonia haud obscura ex variis Noui Foederis locis depromi posse videntur. Legimus enim Act. XX, 7. Paulum apostolum primo die hebdomadis, cum Christiani recens conuersi, qui vocantur μαθηται, congregati essent, panem vt frangerent, (per quam loquutionem vſus sacrae coenae est intelligendus) postridie abitum, cum iis differuisse, sermonenque ad medianam vsque noctem produxisse. Idem Paulus eiusdem diei 1. Cor. XVI, 1. mentionem facit, vt quisque eorum die hebdomadis primo quicquam ad vſum pauperum Christianorum secum οπονει, secundone vt theſaurum, quod ſibi placuerit. Idem dies ab Apostolo et Euangelista Ioanne Apoc. I, 10. dicitur κυριε αντωνι, dies Dominica, ſive dies consecratus ad gloriam domini Iefu Christi, qui in N. T. faciliſime dicitur κυριος ex vſu LXX. interpret. qui nomen lehoua per κυριος interpretantur. Cauſa vero, qua permoti apostoli loco Sabbati primam hebdomadis diem ad cultum Dei ſolemnum destinarunt, eique nomen imposuerunt Dominicae, nulla certe fuit alia, quam vt huius diei celebrazione resurrectionis Christi conſeruarent memoriam, beneficiaque, quae ex hac Seruatoris resuſcitatōne ad vniuersum genus humanum redun-
dant, deuota grataque recolenter mente.

*Celebratio di-
ei Dominicae
inter Chri-
ſianos vete-
res.*

Post apostolorum tempora Christiani non vi legis expressa co-
acti, sed amore ducti erga Deum, diem sancte celebrabant Do-
mini-

§. XII.

minicam, non quidem more Iudaico et superstitione, sed religione Seruatoris consentaneo. Hinc non solum ab operibus manuum quiescentes, totum diem sanctis consumebant negotiis, sed etiam ritus obserabant maxime solemnes, quos Iustinus Martyr nobis enarrat: a) die solis, b) inquietus, omnium, qui in urbibus et agris degunt, in eundem locum sit conuentio, et narrationes apostolorum, aut prophetarum scripta leguntur, quoad tempus permittit. Deinde, lectore cœfanre, praeses per sermonem populum ad has res pulchras imitandas hortatur et admonet. Tunc omnes communiter surgimus, et preces fundimus, et precationibus a nobis peractis, panis et vinum et aqua offeruntur, et praeses itidem preces et gratiarum actiones, quantum in suis viribus est, fundit et populus fausta acclamat, amen dicens. Et distributio et participatio eorum, de quibus gratiae actae sunt, sit unicuique, quin absentibus mittitur per diaconum. Idem auctor verbis, quac Paullo post haec sequuntur, causam quoque addit, cur Christiani diem Dominicam, primam hebdomadis diem, sancte celebrent, quae duplex est, recordatio resurrectionis Christi, et productio luminis et materiae mundi huiusque perfectio. c) Quibus Iustini verbis merito adiungimus Plinii, Bithyniae, imperante Traiano, praefidis, testimonium, quod eo maioris est ponderis, quo minus credi potest, hominem profanum Christianis nimium fuisse adulatum, et in eorum fauorem mendacia protulisse. d) Dicit enim, desertores eorum affirmasse, se solitos esse, statuto die ante lucem conuenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum inuicem, seque Sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent, quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad capendum cibum, promiscuum tamen atque innoxium. Ex



qua Plinii relatione clarissime cognosci potest modus, quo veteres Christiani diem Dominicam, quam diem statutum nominat, devote celebrarint. Non enim solum carminum sive hymnorum in Christi honorem decantatorum, sed etiam Sacramenti, quo se se ad fidem obseruandam obstrinxerint, et per quod sine dubio Eucharistiam cum Baptismo intelligere debemus, sit mentio, imo agapae in primaeua ecclesia usitatae haud obscure indicantur. Inprimis vero tempus antelucanum attendi meretur, quo veteres conuenire solebant. Cuius quidem ritus causam, non in superstitione, sed potius in timore haut culpando usitate positam, facile perspiciemus, si consideramus, quot quantisque aerumnis cruciatibusque Christi sectatores a primis imperatoribus profani premerentur. Cum igitur non sine mortis periculo interdiu conuenire possent, hoc tempus matutinum ad Sacra peragenda eligeant ut imperatorum faeuitiam hac ratione euitarent. Si vero mitius clementiusque principes isti profani erga Christianos erant propem, has congregations etiam post solis ortum instituere audebant. Sic obseruabant Christiani diem Dominicam sub tyrannide imperatorum gentilium viuentes, vexationibusque continentibus expositi. Imperantibus vero Constantino M. aliisque imperatoribus, qui nomen Christo dabant, haec solemnitas etiam legibus, tam imperialibus, quam ecclesiasticis, magis magisque confirmabatur. Tunc tempa etiam struebantur, quibus conuentus maiori commoditate poterat frequentari. His exhilarati cultum publicum eo frequentius continuabant. Multis in locis, praefertim in maioribus ecclesiis, duo sermones die Dominica habebantur, matutinus et vespertinus, nonnunquam vero loco posterioris preces modo fundebantur, quae tanti aestimabantur, ut, si quis inueniretur, qui has preces spernens publicas, eas potius domi existimaret esse peragendas e) vehementer reprehenderetur.

retur. f) Homines, necessitate non vrgente, solemnes conuentus negligentes, ab ecclesia notabantur. Omisso cultus publici per tres dies Dominicas delictum erat excommunicatione dignum. g) Si quis, sacerdote loquente, ecclesia egredieretur, poena afficiebatur. h) Sacrae congregationi accedens, vt Scripturarum lectionem audiret, precari autem et sacra coena vti recusans, excommunicabatur. i) Si quis seorsim conuentum haberet, aut frequentaret, et laudaret, haereticus, vel saltem schismaticus habebatur. k) Ieiunium eo die plane erat prohibitum, et illud instituens, in suspicionem haeresis veniens, anathemate terrebatur. l) quia multi haeretici, vt Manichaei, Marcionitae, et Priscillianistae hunc diem esuriale putabant. Omnes lites, actiones forenses, decretaque iudicium per imperatorem Constantimum M. die Dominica vetabantur, solis iis exceptis, quae absolutae necessitatis et charitatis erant, vt seruorum manumissio. Quam ob causam promulgavit legem, dignam, quam allegamus : m) *Sicut indignissimum videbatur, diem solis, veneratione sui celebrem, altercationibus, iurgiis et noxiis partium conventionibus occupari, ita gratum ac iucundum est, eo die, quae sunt maxime voriua, complevi, argu ideo emancipandi et manumittendi die festo cuncti licentiam habeant, et super his rebus actus non prohibeantur.* Valentinianus senior, omnem publici atque priuati debiti exactiōem vetabat n) quod nepos eius Valentinianus junior, multo expressius repetebat o) Opera vero forensia, quae necessitas et charitas postulabat, non modo concessa, sed adeo mandata fuisse, inter alias, ex lege ab Honorio lata, apparet, iubente, p) vt naūicularii, qui ex Asia Romam publicum frumentum transvehebant, si in suspicionem fraudis incidenter, quaestioni bus vel die dominica examinarentur, quia conseruatio frumenti publici Romae maximae erat saluti. Quemadmodum

C 3

vero

vero omnes actiones forenses interdictae erant, sic etiam labores et opera manuum nulli concedebantur, iis tamen, quae caritas suadebat, et necessitas iubebat, rursus exceptis. Sic maxime notatu dignum est, quod Constantinus M. ipse, quamvis opera forensia vetuisset, agricolis tamen concedebat q) frumenta fulcis aut vineas scrobibus mandare die Dominica, quando id alio die aptius fieri non posset, quoniam aequitati non respondeat, tempestatem, his negotiis idoneam, a prouidentia datam, perire. Silentio tamen praeterire non possum, hanc licentiam agricolis concessam per alias leges valde imminutam esse r), et per scriptores, s) et canones ecclesiasticos r) semper oppugnatam. Quantum studium circa opera charitatis et necessitatis, vt die dominica praestentur, adhibitum fuerit, docet lex ab imperatore Honorio promulgata, u) qua iubet, vt iudices reos in carcere videant, educant et interrogent, num custodes carcera quoddam humanitatis officium, legibus nempe concessum, iis denegarent. Captiuos ad balneum diebus Dominicis sub firma custodia ad abluerendas fordes in carcere sibi contractas deduci iubet. Et si qui iudices, aut eorum officiales, hasce regulas non obseruerent, certa pecuniae summa mulctabantur. Loci simul episcopus iubetur, vt iudices moneat, ne hac in parte negligant officium. Spectacula, ludos, aut alias oblectationes, die Dominica instituere et frequentare, sub pena excommunicationis erat interdictum. Quin si dies imperatoris natalitus in diem Dominicam incideret, celebratio eius in aliam diem profestam differebatur. Sicut hac de re duae leges Theodosii senioris, x) et nepotis eius junioris y) in codice Theodosiano extant.

a) Apologia I. §. 87. p. 63. edit. Thalemann. b) Hoc nomine vuntur Christiani, quando ad gentiles scribunt, conf. Bingh. Orig. Tom. IX. pag. 15.
 c) Apol. I. §. 89. p. 64. d) Plin. Epist. Libr. X. ep. LXXXVII. e) Chrysost. Homil. III. in II. ad Thessal. f) Idem I. c. g) Concil. Illiber.

Illiber. Can. XXI. *h*) Con. Carth. IV. Can. XXIV. *i*) Idem Can. XXVII.
k) Conc. Grangr. Can. V. VI. *l*) Ibidem Canon. XVIII. *m*) Cod. Theod.
 Libr. II. Tit. VIII. de feris leg. 1. *n*) Ibidem Libr. VIII. Tit. VIII. de execu-
 toribus. *o*) Ibidem leg. 3. *p*) Ibidem Libr. XIII. Tit. V. de nauiculariis leg.
 38. *q*) Cod. Iustin. Lib. III. Tit. XII. de feris leg. 3. *r*) Nouell.
 Lib. V. leg. neque agricolae neque quicquam ali in illo die illicitum opus ag-
 grediantur. *s*) Iren. Libr. IV. Cap. 20. *t*) Conc. Aurel. 3. Can.
 XXVII. Antifidior. Can. XVI. Malisconens. II. Can. I. *u*) Cod. Theod.
 Libr. IX. Tit. III. de custodia reorum leg. 7. *v*) Cone. Carth. IV.
 Can. LXXXVIII. *w*) Cod. Theod. Libr. XV. de spectaculis Tit. V.
 leg. 2. *y*) Ibidem leg. 5.

§. XIII.

Quemadmodum temporibus mediis seu religionem omnemque
 cultum diuinum maximis inuolutum tenebris pleniusque superstitione <sup>Celebratio
die Domini-
cae inter re-
tentiores
praestrictim
tempore refor-
matiunculas</sup>
 deprehendimus, sic quoque maxime dolendum, diem Dominicam po-
 tius fuisse neglegcam, quam rite celebratam. Non enim solum iudi-
 cia in ea agebantur, concedebantur nundinae, aliaque negotia
 illicita tractabantur, *a*) sed etiam sermones ad populum habiti ita erant
 comparati, vt in iis potius de operibus meritorii, precibus ad san-
 ctos directis, quam de vera fide pietateque, quam Sacer Co-
 dex nobis tradit, ageretur. Tempore vero instauratae puritatis
 religionis etiam iura dici Dominicæ, ritibus superstitionis ab-
 iectis, Sacro Codice e puluere producto, orationibusque a fabulis
 purgatis, reddebantur, torusque cultus publicus ita, vt in ecclesia
 primaeua, religiose exercebatur. Nostri enim pii professores eandem,
 quam apostoli et primi Christiani, de obseruando Sabbato fouerunt
 sententiam, quod ex verbis b. Lutheri in Catechismo maiore pro-
 latis eluce: *b*) die Sabbati, inquietis, quando *alias ei rei*
 vacare non licet, otium et tempus sumatur, cultui diuino in ser-
 uiendi, ita, vt conueniamus ad audiendum et tractandum Dei
 verbum, ac deinceps Deum hymnis, psalmis, canticis, et preci-
 bus laudemus. Quod etiam vterius confirmat, si paulo post haec
 verba ita loquitur: *Sabbatum sanctificare idem est, ac sanctum ba-*
bere, quod nihil aliud, quam sanctis verbis, operibus et vitae
vacare.

*) Bingh. orig. eccl. Tom. IX. Libr. XX. Cap. II. §. 3. p. 26. *b*) LL.
 SS. p. 424. seqq. ed. Rechenb.

§. XIV.





*Celebratio
Sabbati inter
Mahomedan-
nos.*

Etiā Mahomedani habent Sabbatum, diem nimirum hebdomadis septimum, quo solemnes conuentus instituant. Sabbatum vero eorum nec dies hebdomadis septimus est, quem Deus quondam praecepérat, nec primus more Christianorum, sed sextus seu dies Veneris. Hic dies ab auctore religionis, quam confitentur, Mahomed, cultui diuino consecratus est. Obseruant vero eundem, nec ut Iudaei veteres ac hodierni Sabbatum, per totum illud plane a laboribus abstinentes, nec ut Christiani diem Dominicam, opera-manuum, procuratione corporis haud neglecta, intermittentes, et ad noctem usque in sancta incumbentes negotia, sed tam diu modo quodiana negotia remouent, quamdiu cultus publicus durat, quo absoluto, ad labores et oblationes redeunt. Hoc ipse Coranus, pro norma iis rerum credendarum et agendarum datus, concedit. a) O vere credentes, inquiens, quando die conuocationis ad preces vocamini peragendas, pro parte ad Dei commemorationem, negotio mercaturae intermissio. Quod maiorem vobis afferet utilitatem, se sciretis. Sed precibus peractis dispergimini, ut vobis lubet, in regiones, et lucrum a diuina facitis beneficentia, Deique memoriam in animo reuocato, ut vobis bene sit. Religioni tamen magis studentes partem huius diei ad secularia negotia adhiberi, neiquam approbant, e contrario postulant, vt si totus praeparationibus ad vitam futuram consumatur. Quem diem etiam tanto honore dignum putant, vt principem dierum, praestantissimum diem, quo sol oritur, vocent, sibique eximio honori ducent, quod Deo, hunc diem ad diem festum vere credentium constitueret, iisque commodum primae huius diei obseruationis concedere praeclarissimum, placuerit. b) Cur vero Mahomed nec primum, nec septimum, sed sextum hebdomadis diem Sabbatum elegerit, facile est cogniti. Consilium enim sibi erat propositum, se fuosque affectas, noua religione inuenta, a Iudaeis et Christianis distinguendi. Placuit itaque suo coetu diem Veneris, ut diem Sabbati praescribere.

a) Vid. Al Coran, edit. Sale pag. 619. 620. b) Ibidem pref. p. 186.

Wittenberg, Diss., 1770-73
X 2283235





~~83~~ COMMENTATIO HISTORICO-CRITICA

DE

CELEBRATIONE SABBATI DIEI QE
DOMINICAE INTER VETERES
RECENTIORES QE

QVAM

P R A E S I D E

ERNESTO GODOFREDO CHRISTIANO

S C H R O E D E R

PHILOS. PROF. PVBL. EXTRAORD.

DIE XXVI. MART. CL^oCCCLXXII.

AD DISCEP T A N D V M

PROPOSITION

A V C T O R

M. JOANNES BENIAMIN ALBERT

DRESdensis

LIBRERIA GERDESIANA